

ad errores, et superstitiones vel maxime absurdas, uti in S. Scriptura dicitur: « a veritate quidem auditum avertent ad fabulas autem convertuntur; » ita factum est in gentibus antiquitatis, quae derelicta traditione primae revelationis in turpissimam idololatriam delapsae sunt. Similiter apud nationes, quae saeculo XVI ab Ecclesia defecerunt, stultissimae quaeque sectae, uti v. gr. postremis hisce temporibus Mormones, multos asseclas invenerunt, et fortasse inter nationes quae humanitate gloriantur, vix altera tantis superstitionibus infecta regio inveniri poterit, quantis pars Europae Septentrionalis, ubi per tria saecula protestantismus exclusive dominatus est. Ex eodem fonte emanant superstitiones impiorum et indifferentium nostri temporis, qui easdem fabulas enarrantes, Mesmerismi, Magnetismi, Spiritismi, Hypnotismi nomen eisdem dederunt. Facta autem extraordinaria et portentosa, quae a sectatoribus harum superstitionum referuntur, vel excitatae phantasiae et infirmorum nervis agitatae vel impostorum actioni (uti ex variis tribunalium iudiciis in Gallia praesertim constat), vel etiam verae daemonis interventioni tribui debere constat omnino. Sunt enim eiusdem generis ac ea, quae de antiquorum magis v. gr. in Egypto leguntur, et de oraculis et pythonissis graecorum, etc.; similia sunt iis, quae Moyses in lege prohibet fieri ad spiritus evocandos, somnia interpretanda, futura certo cognoscenda. Deum autem subinde permittere ut daemon in hoc mundo terrestri, actione sua directa interveniat, nemo christianus poterit negare, cum diabolicae actionis tot exempla in vita Christi, h. e. in Evangeliiis attestantur; et toto tempore deinceps in historiis ecclesiasticis, et hodie in Missionibus apud gentes in-

fideles occurrant. Quod in particulari hanc nostram Regionem Mexicanam attinet invectas iam ex Europa et America Septentrionali pluribus in locis invenimus sectas istas recentiores, praesertim spiritismum, quo praetendunt cognoscere res praeteritas et futuras, et conversari cum animabus defunctorum. Ex altera parte nonnullis in locis, praesertim etiam in hac Archidioecesi Antequerensi inventae sunt reliquiae antiquae idololatriae aboriginum traditionaliter apud nonnullos indos magna cum obstinatione conservatae; item praxes supersticiosae, victimarum sacrificia vel etiam res sacrae et oblationes cerae vel eleemosynae in fines malos. Quapropter omnes huiusmodi superstitiones impedire, quantum fieri potest, cupientes, huius Synodi Patres sequentia decernunt.

1. — Prorsus illicitus est et abominandus cultus cuiuslibet idoli, et omnis ritus et praxis supersticiosa in eiusdem honorem: est enim hoc vere adoratio daemonum, et gravissima iniuria a creatura Creatori illata.

2. — Hinc minime licet praxis nonnullorum accendendi superstitione lampades nigri coloris; agros aspergere sanguine avium vel aliorum animalium pro segete bona consequenda; in domibus vel super tumulos offerre cibos varios vel pecunias, veluti ad usum defunctorum.

3. — Illicitum similiter est, abuti rebus ab Ecclesia benedictis v. gr. oleo, cereis, incenso ad fines supersticiosos.

4. — Vere supersticiosum est et illicitum, ipsis actibus religiosis abuti velle ad finem malum aut supersticiosum, non ordinando ea ad bona aeterna vel temporalia etiam, sed honesta; verum ad finem per-

versum, v. gr. ad damnum vel mortem inimici obtinendam. Hinc prorsus illicitum est, et Deo iniuriosum, stipendia offerre pro celebratione Sacri vel recitatione Evangelii cum huiusmodi prava intentione. Caveant autem omnino Ministri Ecclesiae, ne turpis lucri gratia, huius generis superstitiones admittant aut foveant: gravissima culpa onerantes conscientiam suam.

5. – Pactum cum Daemone inire sive verbo sive scripto omnino illicitum esse, per se patet. Similiter daemonem evocare, v. gr. ad futura cognoscenda, ad vindictam sumendam, etc. peccatum gravissimum est. Itidem in hunc finem uti interventione eorum quos magos aut divinos vocant, qui ut plurimum vere impostores sunt, peccatum grave est contra religionem. Superstitiosa dein et illicita est inquisitio futuri per somnia, per signa aut figuras apparentes in corpore terrestri, ex avium volatu et huiusmodi.

6. – Applicatio principii aut elementi mere physici et materialis ad producendos aut explicandos effectus spirituales et supernaturales tamquam mere physicos, est deceptio illicita et haeretica. S. R. Inquisit. 4 Aug. 1866.

7. – Hinc sequitur, illicitas esse omnes illas exercitationes Mesmerismi, Magnetismi, Hypnotismi, et Spiritismi, ceteroquin iam a S. Sede damnatas; neque, etiamsi fiat ob meram curiositatem, licitum esse assistere huiusmodi experimentis.

8. – Valde perniciose demum et similis errori protestantium, qui sola fide sine operibus salvari praetendunt, superstitio est eorum, qui imagines et obiecta benedicta, aut etiam sacras reliquias secum deferunt, et speciales, nec raro valde inconvenientes, imo ridiculas praecum formulas recitant, conantes sibi per-

suadere hoc modo securam esse salutem suam aeternam, nec iam sibi necessarium peccata fugere et bonis operibus illam certam facere.

TITULUS VIII.

DE MEDIIS AD FIDEM TUENDAM ET FOVENDAM.

De iis qui ex captivitate Babilonica ad terram Israel venerunt, ut muros Ierusalem reaedificarent et restaurarent ruinas, legimus altera manu instrumenta fabrilia tenuisse, altera gladium, ut simul prompti essent ad pugnam et ad opus instaurandum. Ita et nos, qui spirituali aedificationi et restorationi murorum Civitatis Dei operam damus, oportet non solum defendere christianos a periculis quibus fides eorum exponitur ob insidias inimici, sed simul media adhibere, quibus spiritus verae fidei in animis foveatur et crescat, ne ignorantia obscuretur, vel tepore languescat.

Quatuor autem sunt praecipua instrumenta adhibenda:

I. – Instructio iuventutis in scholis et Collegiis.

II. – Praedicatio in templo pro instructione omnium fidelium.

III. – Unio et congregatio fidelium ad cultum promovendum, et ad opera bona exercenda.

IV. – Cooperatio scriptorum catholicorum tum in libris tum in periodicis.

Circa horum singula in Domino visum est nobis sequentia mandare:

I.

De instructione iuventutis.

De hac plura iam dicta sunt, cum superius ageretur de avertendo periculo non levi, exsurgente ex scholis in quibus vel nulla mentio fit Dei et religionis, vel etiam religio et boni mores plus minusve directe impugnantur. Hic igitur sufficiat iuxta instructiones et encyclicas SS. PP. Leonis XIII, feliciter regnantis, monere, ut summa cura habeatur in scholis et collegiis de instructione fidei in omni integritate et puritate, idque non solum cum de catechesi agatur, sed in disciplinis etiam philosophicis, historicis, et artibus liberalibus. Hisce enim, nunc temporis, spiritus mendacii praesertim abutitur ad intelligentias et corda corrumpenda. Hinc etiam sequitur solidam instructionem esse debere, potius multum quam multa docentem; cum spiritus recentiorum eo tendat ut multiplicitate rerum quae capiti debiliori iuvenum obtruditur, vera scientia et scientia imprimis veritatis non levia detrimenta capit. Dein iterum monentur parochi, ut quantum possunt, excitata etiam fidelium cooperatione, instituant in omnibus locis scholas parochiales, dominicales, nocturnas, neque omittant etiam curam agere puellarum ne ipsis desint scholae in quibus, praeter instructionem elementarem et religionem, a personis idoneis doceantur officia domestica, sexui et earum aetati propria.

II.

De praedicatione.

Omnis Sacerdotis, ad hoc munus idonei, post Sacramentorum administrationem, primarium officium sine du-

bio est, praedicatio verbi Dei, vel simplici instructione, iuniorum praesertim, in catechesi, vel sermonibus in templo habitis ad congregationem fidelium. « A labiis enim sacerdotis requirent scientiam », ait Sacra Scriptura. Sed parochi imprimis duplex istud officium est et muneris stricta obligatio. Quocirca sequentia in Domino statuenda nobis videntur.

1. – Singulis Dominicis, uti iam Concilium Tridentinum (sess. v, de reform. c. 2) gravibus verbis praecipit, parochi post Evangelium in Missa, ut illud in lingua vernacula legant fidelibus, dein super illo, aut, si ita videatur, super Epistola diei instructionem ad populum habeant, ordinarie saltem per dimidiam horam iuxta exemplum Apostoli, « non in sublimitate sermonis », sed verbis simplicibus et claris exponendo veritates fidei, motiva exercendae virtutis, vitiorum remedia; vel etiam poterunt percurrere Dei mandata, Ecclesiae praecepta, exempla Sanctorum, praecipue B. Mariae Virginis, erga quam specialem devotionem et amorem omnibus instillare nitantur.

2. – Si praeter Missam in ecclesia parochiali, secundum alibi Sacrum celebrare oportuerit, si vires non sufficerent et nimis defatigaretur sacerdos vel parochus, satis esse saltem post Missam brevem aliquam instructionem facere vel legere.

3. – Hoc idem observent capellani omnes et sacerdotes, qui in templis ruralibus diebus festis sacrum celebrant.

4. – Tempore quadragesimali parochi opportune faciant instructiones pro sacramentis digne ac fructuose recipiendis; neque omittant pias meditationes proponere de passione et morte Iesu Christi Domini nostri.

De congregationibus et confraternitatibus.

Ad fidem fovendam « non parum profecto conferet pias illas Consociationes moderari et provehere, quae magno rei catholicae bono nostra maxime hac aetate constitutae sunt. Constanti enim experientia compertum est, mutuis exemplis singulorum animos incendi, et multorum in unum collatis viribus et consiliis plura ac maiora perfici opera bona: frater enim qui a fratre adiuvatur, quasi civitas firma » (Leo PP. XIII, Encycl. *Inscrutabili* 21 April. 1883). Hisce verbis iam statim ab electione sua ad Sedem Apostolicam SS. Dominus Leo XIII omnes Episcopos hortatus est, adeoque non possumus subditos nostros non eadem hortatione excitare.

Possunt autem omnes huiusmodi Associationes ad duas classes referri, prouti scilicet fines earumdem primarius est spiritum orationis et cultum Dei et Sanctorum fovere, aut opera pia caritatis promovere. Placuit igitur in Domino circa illas, sequentia iam statuta confirmare, et nunc pro fidelium directione statuere.

1. — Ad primam classem pertinent: Sodalitas *SSm̄i Sacramenti, et Doctrinae Christianae*, item *SSm̄i Rosarii, SSm̄i Cordis Iesu et Apostolatus Orationis*. Quoad duas priores, nihil prohibet, quominus non solum in parochiali templo, sed etiam in aliis erigantur: non item de posterioribus, quae, uti sodalitates secundae classis, absque speciali facultate, non nisi in uno templo eiusdem loci erigi poterunt.

2. — Ad hanc classem referri etiam poterunt, utut speciales etiam obligationes et privilegia inducant, qui-

bus opera caritatis promoventur: Confraternitates *Tertiis Ordinis* S. Francisci, S. Dominici, fratrum Carmeli, etc.; item *Sodalitates B. Mariae Virginis*: hae omnes saepius a SS. Pontificibus, et praesertim *Tertiariorum S. Francisci, et Congregationis B. Mariae Virginis* pro iuvenibus, novissime a D. N. Pp. Leone XIII impense commendatae fuerunt. Sciant autem omnes, nullas harum Associationes institui, nec privilegiis suis et indulgentiis frui posse, nisi canonice auctoritate Ordinarii erigantur et Archisodalitio cui respondent aggregentur, salvis tamen indultis et privilegiis a S. Sede concessis.

3. — Secunda classis est sodalitatum, quae imprimis intendunt bonum spirituale vel etiam temporale sociorum, et etiam aliorum, qui socii non sunt, promovere. Inter has nuperrime commendavit Pius Pp. IX Associationem matrum christianarum *S. Monicae*, ut filios deperditos precibus et lacrymis ad meliorem frugem reducant; et *S. Familiae* a Leone XIII specialiter laudatam; *S. Francisci Xaverii* ante annos quadraginta circiter in Belgio erectam, per Hispaniam et alias regiones deinceps propagatam, pro convertendis et in vita christiana conservandis operariis. Imprimis autem inter ceteras propaganda videtur benemerita Societas *S. Vincenti a Paulo*, pro iuvandis pauperibus et infirmis, et pauperum vita christiana conservanda aut emendanda; item S. Iosephi ad eiusdem cultum et educationem clericorum pauperum promovendam.

4. — Hisce adnumerandae sunt et commendandae societates pro colligendo Obolo S. Petri in sustentationem operum S. Sedis, pro colligendis eleemosynis ad Fidem propagandam inter infideles, Sacrae Infantiae pro pueris. Certe non omnes ad omnia opera bona possunt contribuere: Deus tamen vel Obolum Viduae dignanter

recipit; nec cessat divitibus saeculi huius inclamare « eleemosynis redime peccata tua ».

5. – Sciant tamen parochi et reliqui sacerdotes, non deberi de novo huiusmodi Associationes formari, nisi sciente et approbante Episcopo; cuius est considerare, quid maxime in quolibet loco fieri conveniat; ne una societas alteri iam existenti et aequae utili, impedimento fiat, et nimietate operum fidelium zelus depereat potius et languescat.

IV.

De scriptoribus catholicis.

Si quis scriptor in lucem edit sensa sua et opiniones, de re qualibet materiali, ut de mathematicis, de physicis, de artibus, utique errare poterit et errat saepe; stylus et doctrina vel placebit lectori eumque persuadebit, vel contra ei displicebit et auctorem reiiciet. Et hic et qui legit errare possunt, sed error iste per se materialis tantum erit, et lectione alterius libri super eadem materia facile corrigitur, nec facile grave damnum aut perniciem afferet lectori. Non ita, si quis de veritate et iustitia, de virtute et de vitiis, de theologicis et moralibus, vel de rebus, aliquo modo ad fidem pertinentibus, scribere sibi proponit. Caeco caecum ducente, ambo in foveam cadent. Et solis Apostolis Dominus mandavit: « ite, docete omnes gentes » et « Spiritus Sanctus inducit vos in omnem veritatem » Petro datum est ius oves pascendi et fratres confirmandi: ipse solus in successore, cum ex cathedra loquens definit circa fidem aut mores, infallibilis est.

Iam vero crescente in dies tum scribendi licentia, tum insatiabili aviditate legendi librorum et epheme-

ridum scriptores, domini vere videntur opinionis publicae, eamque in quoscumque errores abducere valent, et reapse magna ex hac parte abducunt. Et hic, uti in ceteris, valde deplorandum, filios huius saeculi prudentiores esse filiis lucis. Stimulandi igitur scriptores catholici, ut fideles sint cooperatores Ecclesiae, in refundendis erroribus adversariorum, et repellendis eorum aggressionibus iniustis et calumniis. Magna certe haec et nobilissima vocatio virorum, qui pleni zelo domus Dei, religionis et patriae amorem cum probitate et doctrina coniungant. Nec melius eos excitare poterimus quam verbis SS. D. Leonis PP. XIII in Encyclica *Etsi nos* (13 Febr. 1882). « Qui capitali odio ab Ecclesia dissident scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterima librorum colluvies, hinc turbulenta et iniquae ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges fraenant, nec verecundia continet. Quidquid proximis his annis per seditiones et turbas gestum est, iure gestum esse defendunt: dissimulant aut adulterant verum: Ecclesiam et Pontificem quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt: nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Propterea scripta scriptis opponenda sunt, ut res, quae potest plurimum ad perniciem, eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, et inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur. In quibus rebus omnibus, si quid nostris hominibus impendat, si qua est dimicatio subeunda, audeant tamen sese obvios ferre, cum homini christiano nulla sit adeundi vel incommodi vel laboris causa iustior, quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur ». Ut autem scriptores catholici salutaribus hisce monitis rite

obsequi valeant, sequentes regulas pro eorum directione hic apponere statuimus:

1. – Scientes hominem nihil valere sine adiutorio et benedictione divina, illam suppliciter invocent ab eo, qui sapientiam dat affluenter omnibus eam enixe postulantibus; et in hunc finem conscientiam mundam et intentionem rectam conservare studeant.

2. – Ratione gravitatis materiae de qua scribendum est, debite se praeparent, ne falsa aut minus probabilia adducant: et sufficientem scientiam circa ea omnia, de quibus in scriptis agunt, sibi procurent.

3. – In materiis philosophicis memores sint, rationem non posse adversam esse fidei, neque fidem rationi: et hanc veritatem in scriptis suis semper ostendant. In iis autem, quae directe ad fidem et mores spectant, caveant, ne ullo modo contradicant definitis ab Ecclesia veritatibus: quae autem nondum definivit Ecclesia, ipsi definire non praesumant, licet rationes pro opinione sua modeste afferre possint.

4. – In *rebus politicis* semper ostendere curent: Gubernio civili cuilibet utilissimum esse Ecclesiae iura tueri et adiuvare illam in educatione populi christiani, et inde ipsi Gubernio tanto maiorem stabilitatem et potestatem provenire. Evitent autem in scriptis suis ea omnia, quae pacem reipublicae perturbare et provocare seditiones possent: nec repetant calumnias contra personas qui actu res publicas dirigunt. Quidquid in humanis legibus proponatur quod directe aut indirecte contra Dei vel Ecclesiae mandata aut honorem, et contra iustitiam et civium iura legitima, potest quidem imo et saepe debet impugnari, modo tamen verbis convenientibus, abstinendo ab omni exaggeratione et falsitate.

5. – Generatim si politicae quaestiones religionem et spiritualia attingant, pro norma sint scriptori documenta Ecclesiae, praesertim Gregorii XVI Encyclica *Mirari vos* (15 Aug. 1832), et Leonis XIII *Immortale Dei opus* (1 Nov. 1885); ita ut semper unitatem fidei propugnet, Ecclesiae libertatem et iura defendat, ut in moribus et legibus, in familiis et populis in dies magis firmetur regnum Salvatoris nostri I. C., Regis regum, et Domini dominantium.

6. – Si vero scribant de rebus ad regimen Ecclesiae, aut ad agendi rationem inter Episcopos et potestatem civilem spectantibus, ne praeiudicent temere de sensu S. Pontificis vel Ecclesiae Antistitum; ne videantur eis agendi rationem praescribere, et quae sunt muneris sui partes edocere velle; quo quidem administrationem etiam ipsis difficiliorem redderent.

7. – Demum quidquid scribant sive de scientiis, sive de historia, sive de politicis, in omnibus servent caritatem. Memores sint verborum Benedicti XIV (Const. *Sollicita* 9 Iulii 1753). « Cohibeatur scriptorum licentia, qui, sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino privatas sententias, veluti certa et definita Ecclesiae dogmata a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari: quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores foventur, et christiana caritatis vincula abrumpuntur. »

8. – Solent nonnulli in ephemeridibus aut aliis foliis satyricas imagines offerre lectoribus. Caveant catholici scriptores ne imprudenter eiusmodi effigies propagent aut imitentur, praesertim ubi de personis in dignitate constitutis agitur.

9. – Similiter magnam cautelam adhibeant, ne in refutandis malorum calumniis et dicteriis, eorum adiutores fiant, et scandala cognita faciant lectoribus suis, quae alias non cognovissent, et ex impiorum scriptis eorum animos inficiant, praesertim in iis quae fidem aut mores spectant: iacula enim quacumque manu emissa, facile vulnerant; vulneris sanatio non fit, nisi dexteritate medici.

10. – In particulari ephemeridum redactores ne levius rumores quoscumque referant, qui hodie per telegraphum quotidie sparguntur: attendant telegraphos fere omnes in manu esse inimicorum Ecclesiae, iudeorum, etc. et saepissime inservire propagandis falsis nuntiis in odium Ecclesiae v. gr. circa acta et agenda a S. Sede, circa valetudinem Romani Pontificis, etc. ad lucra iniusta procuranda ex animorum commotione, etc. Similiter cauti sint in repetendis notitiis de factis quibuslibet scandalosis, divortiis, duellis, caedibus, saltem fugiendo ea omnia quae imaginationem legentis nimis excitent, et non paucis offensionem sunt et periculo.

11. – Nullos libros aut libellos aut folia volantia in lucem edant de rebus quibuscumque ad religionem vel ad mores pertinentibus, neque orationes, etc. idiomate Indorum conscriptas etiamsi sint merae versiones ex originali alterius linguae iam approbato, nisi antea subiecta fuerint Ordinarii censurae, et approbationem obtinuerint. Sciant demum scriptores catholici arduum esse munus suum, multum laboris et studii, multum etiam humilitatis et caritatis requiri, ut bene illo fungantur: insuper debere ipsos quidem opiniones diei et multitudinis consulere, minime tamen ab illis abripi, sed despiciere et confutare et oppugnare quaecumque falsa, quaecumque periculosa fuerint vero bono Eccle-

siae, societatis, familiae. Sed, si arduum istud officium, et aggressioni et telis, calumniis et persecutionibus malevolorum illos obicit, ex altera parte nobilissimum, summe meritorium et gloriosum, inter primarios numerari Christi milites, Ecclesiae cooperatores, ad fidelium salutem et Dei gloriam. Pro corona hisce subiiciantur verba S. P. Leonis XIII in Encyclica *Immortale Dei opus*: « Commune omnium catholicorum scriptorum erit propositum: religionem et patriam conservare. Hoc proposito duas res praeclarissimas consecuturi sunt; alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram, ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius malarum doctrinarum et cupiditatum causa, magnopere, periclitatur salus. »

SECTIO II.

DE ECCLESIA CHRISTI

TITULUS I.

DE NATURA ET CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

Hominum in terris societatem non ad huius vitae tantum Deus destinavit temporalem existentiam, sed hanc ad aeternam vitam ordinavit; ita ut homo cognoscat suum Creatorem, eum laudet, eique serviat, et ita perveniat ad societatem Beatorum in coelis coram throno Divinae Maiestatis, una cum Angelorum choris ipsum adorantium in sempiternum. In hunc finem Deus olim ex semine Abrahae populum sibi elegit, peculiari